Quelle: http://manuscripta.at/?ID=508
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

cibos de uenatione tua filii mi ut benedicat tibi
anima mea. Quos cum oblatos comedisset: obtulit
ei etiam uinum. Quo hausto: dixit ad eum. Accede
ad me: et da mihi osculum fili mi. Accessit et osculatus
est eum. Statimque ut sensit uestimentorum eius
fragrantiam: benedicens ait: Ecce odor filii mei: sicut
odor agri pleni. cui benedixit dominus. Det tibi deus de
rore cæli: et de pinguedine terræ habundantiam frumenti
et uini: et seruiant tibi populi: et adorent te tribus.
Esto dominus fratrum tuorum: et incurbentur ante te filii matris
tuæ. Qui maledixerit tibi sit ipse maledictus: et qui
benedixerit tibi benedictionibus repletur. Vix ysaac
sermonem impleuerat: et egressus iacob foras: uenit
esau: coctosque de uenatione cibos illi parari
iubens. Surge pater mi: et comede de uenatione
filii tui: ut benedicat mihi anima tua. Dixitque
illi ysaac. Quis enim es tu? Qui respondit: Ego
sum primogenitus tuus esau. Expauit ysaac stu
pore uehementi: et ultra quam credi potest: admirans
ait: Quis igitur ille est qui dudum captam uenationem